

GABRIELIS DE GAST  
ANTECESSORIS AVRELII  
COMMENTARII IN DVOS TIT. C.

*De impuuberum & aliis substitutionibus.*

*De sententiis qua pro eo quod interest proferuntur.*

*vela lib. et coll. M. M. Viluena*

*2458*



P A R I S I I S,

Apud Guillielmum Bichonium, via Iacobæ,  
sub signo hinnulci.

1586.

C V M P R I V I L E G I O R E G I S.



GABRIELIS DE GAST  
ANTECESSORIS AVRELII  
COMMENTARIUS IN TIT. C.

*de impar. & alijs substit.*

**D**E duobus hic a nostris (inquit Ferretus) non tam quæritur, quam dissentitur. Vnum est quid sit substitutio, Alterum quotuplex ea sit. Ea vero priusquam attingamus, notandum est, substitutio, verbū bifariam considerari. Largē, & strictē. Largē substitutio dicitur omnis in alterius locum facta subrogatio. Sic substitutas arbores, & substituta pecora Paulus & Pomponius dixerunt L. Arbores. L. vel inutilium. D. De usufructu. Et substitutam actionem L. i. §. Hæc actio. D. Si quis testamento lib. esse iussus. Sic & in legatis substitutionem dicimus, in fideicommissis, & mortis causa donationib. L. ut hæredibus. D. de leg. 2. L. vnica §. si autem aliquid sub condit. C. de caduc. toll. In legatis autem substitutio fit, cū testator legatum quod primo dedit, in eum casum secundo dat, quo primus capere non possit. In quo differt substitutio, a translatione, & fideicommisso.

A. j.



121

GABRIELIS DEGAST  
ANTECESSORIS AVRELII  
COMMENTARIUS IN TIT. C. DE SENTEN.  
*quæ pro eo quod Inter. prof.*



ECTA huius tituli collocatio patet ex præcedentibus, qui sunt de sententijs proferendis. Cum enim (inquit Bart.) in ferendis sententijs multa dubia soleant oriri super eo quod interest, ipsa de sententijs disputatio etiam eius quod interest disputationem postulat. Qua ratione & hic titulus superioribus applicatur commodissime, & futuræ nostræ disputationis commendatur utilitas: quod nullum sic negotium, in quo de eo quod interest non quæratur. Sed iam maius quid nobis cōstituendum est, non solum in actionibus quæri de eo quod interest, sed actiones ipsas ex eo quod interest subsistere L. si procuratorem. §. mandati actio. D. Mandat. L. stipulatio ista. §. alteri. D. de verb. oblig. L. i. D. de appellationib. recip. Et hoc, quod interest deficiente

Q.j.